

1689

## P O L E M I C I

1690

IX. fol. 185. Collectanea varia dogmatica et moralia e PP. et Seneca.

X. fol. 206. p. 2. Enumeratio Praeceptorum Decalogi, Peccatorum capitalium, Donorum Spiritus sancti, Sacramentorum, Operum Misericordiae &c.

XI. fol. 209. Institutio de Decalogo anteriore parte mutilata; incipit enim in medio Praecepti: *Non facies furtum*, his verbis: *propter immisericordes et avaros, qui retrahunt panem ab egeno &c.*

XII. fol. 215. p. 2. *Vtrum fideles currentes viam spiritualem ad habendum celeste brauium et fideliter agonisantes pro corona patrie debent a mendacijs sicut a crapula abstinere.* Alter dixisset: *Quod — debeant*; sed hic *Wiclefistarum* et sequacium mos erat, certissima quaeque Problemati subicere et ventilare. E quodam *Wiclefi* Opere decerptam esse hanc Quaestionem puto; mox enim in Fratres Mendicantes incurrit. Initium: *Nunc dicendum contra sic. cum omne mendacium sit peccatum &c.* Caret fine.

XIII. fol. 218. Rationes contra Primatum Ecclesiae Rom. et Indulgentias, e Scriptis *Wiclefi*, ut videtur. Inscribuntur: *Vtrum ecclesia romana sit caput vniuersalis ecclesie, uel vniuersalis ecclesia sine qua non est salus.*

CCCCXXIX.

921 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 167. 4. commode,

non tamen ab eadem manu per totum scriptus, et rubricis distinctus exhibet: I. *Job. Hussi* Tractatum de Ecclesia, incipientem: *Cum quilibet viator debet fideliter credere &c.* et nobis multoties repetitum, hicque, ut alias, ἀνωρυμωσ. Accedit ad calcem Index rerum.

II. fol. 120. sequitur pariter ἀνωρυμωσ Eiusdem Quaestio disputata contra Cruciatam *Jobannis XXIII.* quae habetur edit. *Opp.* 1715. T. I. p. 215. hoc initio: *Triplici re ad presens negotium urgeor &c.* A nobis relata alibi.

III. fol. 144. Rursus absque Inscriptione *Positio* illa *Friderici Epinge*, quae relata est et alibi, de Jure Excommunicandi, hoc initio: *Credo communionem sanctorum &c.*

IV. fol. 156. absque Inscriptione Sermo de Eucharistia, quo contenditur: *quod homo tenetur hoc sacramentum sumere non solum ex statuto ecclesie sed etiam ex mandato domini dicentis: Hoc facite in meam commemorationem.* In illud: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis &c.* *Job. 6.* Incipit: *Secundum Thomam parte tertia summe sue &c.* Sub finem provocat Autor ad dicta sua de materia de usura et de conclusionibus doctorum de constantia de communionem calicis; unde fors ejus nomen elici posset, si operae pretium esset immorari.

CCCCXXX.

H h 2